



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

23. Abstinentia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

## PASSUS XXIII.

Abstinentia.

TEXTUS.

*Qui autem abstinenſ est, adi-  
ciet vitam. Eccli. c. 37. 34.*

Cognitio.

**A**bstinentia est virtus, quā voluptatem  
in usu ciborum sitam, refraenamus,  
& debitum modum in eorum sumptione  
constituimus. D. Thom. 2. 2. q. 146.

Actus:

1. A cibis vetitis, tempore praescripto, abstinere.
2. Jejunia Ecclesiastica servare, & aliqua etiam non præcepta suscipere.
3. Tempus consuetum reficiendi corpus observare.
4. Cibos launiores & pretiosiores, si necessitas aut charitas non exigat, fugere & aversari.
5. Communes cibos, non exquisitè præparatos, sed quomodocunque oblatos libenter comedere.
6. Quan-

6. Quantitatem ciborum , saluti corporis necessariam , & saluti animæ non officientem , tantum accipere.
7. Ante comedionem cogitationes de cibis penitus abscindere , & in ipsa comedione æstum & nimiam aviditatem cohibere.
8. Ex quantitate & qualitate esculentorum ea omnia subtrahere , quæ saluti corporis non nocent , & puritati mentis deserviunt.

### *Consideratio.*

Quoniam contraria juxta se posita clarius eluescunt , S. Laurentium Justinianum, gulam & abstinentiam cum suis fructibus inter se opponentem audiamus , ut hujus virtutis amore succendamur. I. Quid mali, inquit , ex gulæ inordinatione , & ventris repletione non oritur? Est enim fomes libidinis , flagitorum omnium mater , radix criminum , origo vitiorum , turbatio capitis , stomachi lassitudo , subversio sensus, tempestas linguæ , procella corporis , naufragium castitatis. II. Est infania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia , animæque corruptela : confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, & incurrit in damnationem æternam. III. Ex

150 SEMITA PERFECTIONIS.

adverso idem Sanctus collocat encoriurn  
abstinentiæ, dum inquit: Abstinentia sani-  
tas est corporis, valetudo membrorum,  
mors culpæ, excidium delictorum, reme-  
dium salutis, radix gratiæ, vitæ diutini-  
tas, & fundamentum castitatis. O quam  
pestiferi fructus gulæ! Quam salutares ab-  
stinentiæ! Elige.

*Petitio.*

Domine Deus meus, largire mihi virtu-  
tem abstinentiæ, quâ abominabiles gulæ  
fructus respuam; abstinentiæ nobilissimos  
eligam, ad gloriam tuam sempiternam.

*Aspirationes.*

I. Impleam Domine id, quod mandâsti  
Prophetæ, Cibus tuus, quo vesceris, eris  
in pondere & mensura. Ezech. c. 4. 10.

II. A Paradisi gaudijs per sibum cecidi-  
mus: ad hac, quantum possumus, per absti-  
mentiam resurgamus. S. Gregor. in homil.

III. Da mihi, Domine, nimium cibo-  
rum appetitum rationis imperio frœnare.  
S. Laurent. Justin.

